

In illo témpore:

- ¹ Cum implésset Iesus ómnia verba sua in aures plebis, intrávit Caphárnaum.
- ² Centuriónis autem cuiúsdam servus male habens erat moritúrus, qui illi erat pretiósus.
- ³ Et cum audísset de Iesus, misit ad eum senióres Iudæórum, rogans eum, ut veníret et salváret servum eius.
- ⁴ At illi cum veníssent ad Iesum, rogábant eum sollícite dicétes: «Dignus est, ut hoc illi præstes:
- ⁵ díligit enim gentem nostram et synagógam ipse ædificávit nobis».
- ⁶ Iesus autem ibat cum illis. At cum iam non longe esset a domo, misit centúrio amícos dicens ei: «Dómine, noli vexári; non enim dignus sum, ut sub tectum meum intres,
- ⁷ propter quod et meípsum non sum dignum arbitrátus, ut venírem ad te; sed dic verbo, et sanétur puer meus.
- ⁸ Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: “Vade”, et vadit; et álii: “Veni”, et venit; et servo meo: “Fac hoc”, et facit».
- ⁹ Quo audíto, Iesus mirátus est eum et convérsus sequéntibus se turbis dixit: «Dico vobis, nec in Israel tantam fidem invéni!».

¹⁰ Et revérsi, qui missi fúerant domum,
invenérunt servum sanum.

Verbum Dómini.